fideles sibi allicit celsitudinem virorum cuius
cupiunt videre quam admissimus voluptatibus ad
superna studeat desideria transferre. Hec ita-
que discipuli autem dominum videntes eum
adoraverunt in aductu suo adoracio-
nem et ante eum humiliaverunt se cre-
dentes dominum deum et hominem immortalem
resurrexisse. Quidam autem dubitave-
runt propter rei novitatem quorum dubitacio
nostram auget fidem. Ex quo patet quod erant ibi
alii quam apostoli quia omnes erant ibi credentes
etiam thomas qui inter eos fuit magis in-
credulus. Dubitacio quorundam discipulorum nostre
fidei fuit confirmacio quia quo amplius
dubitaverunt eo solicitius inquisierunt et
quo veris comprobaverunt eo firmius crediderunt
et non solum nostram fidem corroboraverunt
sed etiam hereticorum sophismata destruxerunt.
Christus pius autem et clemens dominus credentes
in fide confortat et fidem eorum roborat
et dubios ad fidem reducit et dubietatem
eorum excludit intimans eis ad quam eternam
gloriam pervenirent. Unde ut et omnem dubitacionem
aufferret a cordibus eorum accedens
locutus est eis ad certificandum dubios de
sua potestate dicens: Data est michi omnis potestas
in celo et in terra. Quia licet Christus quantum ad divi-
nitatem ab eterno haberet hanc potestatem et
nichilominus quo ad administracionem creaturarum haberet potestatem
et in celo et in terra auctoritative
tamen executive non habuit ante resurreccionem suam
quia voluit passibilitati esse subiectus
propter nostram redempcionem. Hoc ergo loquitur apostolus
quantitas in quo minoratus est paulo
minus ab angelis non autem divinitatis magis
[illegible] est creatoris et consubstancialis. Nam in divi-
nitate tantus est pater quantus filius quantus
spiritus sanctus. Qualis est pater talis est filius talis est spiritus
sanctus. Unde Augustinus: Tanta est ibi trinitas
in solo patre vel in solo filio vel in solo spiritu
sancto quanta est simul in patre et filio et spiritu
sancto. Hec Augustinus. Igitur secundum divinitatem filius
simul cum patre et spiritu sancto omnipotens super
omnia secundum humanitatem omnium rerum et in-
ter omnia potestatem accepit et omnia in manu
eius sunt tradita ut ipse qui nuper fuerat

est in celo dominice et in terra ut cum potestate
in celo coronandi quos vult et in terra eli-
gendi quoscumque vult. Quia et ibi facit quod
vult et quod vult sciencia consilius quippe
dei ergo filio dei quod divinitas eternaliter eo
vult quod ipse cum patre possidet. Non solum
ergo in terra sed etiam in celo potestatem accepit
quia in equalitate exaltatus ad dexteram patris
est collocatus et super omnes angelos elevatus
est. Non quod soli est datum quod est super omne no-
men ut in nomine ihesu omne genu flectatur ce-
lestium terrestrium et infernorum. Non solum est super
omnium hominum nomine sed etiam super omnium
angelorum. Sicut nulli enim hominum vel
angelorum concessum est ut naturaliter filius dei dici
possit nisi illi soli cui a patre dictum est:
Hic est filius meus dilectus in quo michi
complacui. Sic nulli quam sanctorum vel angelorum
datum est ut in nomine eius salus daretur
mundo nisi soli deo. De quo petrus ait: Non
est in aliquo alio salus neque enim aliud
nomen datum est sub celo hominibus in quo oporteat
nos salvos fieri. In natura quippe hominis a patre
accepit quod in natura deitatis etiam ipse donavit.
Hanc autem potestatem sibi datam per totum non sumit
sed omnibus personis acceptorem colligit.
Unde cum instruccionibus baptismum subiungit
dicens: Euntes docete omnes gentes
in omnia genera gencium sine distinccione personarum
Ex hoc patet quod predicatores curam omnibus
magnis et parvis sine accepcione predicare
debent. Euntes ergo quod est quia neglientes qui
ire nolunt docete quod est quia ignorantes qui
docere nesciunt et officium sumunt omnes
gentes quod est quia personarum acceptores qui
tamen ad aliquos vadunt baptizantes eos quia
nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto
non potest intrare in regnum dei in nomine
propter unitatem substancie patris et filii et spiritus
sancti propter distinccionem personarum. Vel quorum
est una divinitas una sit largitio. Non
ait in nominibus patris et filii et spiritus sancti sed in nomine
ut individua trinitate unum deum esse insinuet.
Ista ergo est forma baptismi a Christo instituta
sed familiari consilio spiritus sancti quodam
mutata fuit in primitiva ecclesia quia apostoli
baptizabant in nomine Christi ut nomen Christi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_338/0259

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG